



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Quibus occasionibus homines conuertantur, cap. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

Multæ sunt causæ conuersionis: quidam enim conuerti videntur sola vocatione siue inspiratione Dei: alij solo instinctu spiritus maligni, nonnulli quadam leuitate animi, plurimi etiam per ministeriũ conuertuntur aliorum, videlicet verbo exhortationis, virtute orationis, exẽplo religionis. Sũt & innumeri, quos trahit ad ordinẽ multiplex necessitas, id est infirmitas, paupertas, captiuitas, erubescẽtia alicuius culpæ, periculũ vitæ, timor vel experimentũ pœnæ gehennalis, desiderium patriæ cœlestis. Talibus congruit illud Euãgelicum; Compellere intrare. *Luc. 14.*

APOLLONIVS: Licet hæc videantur probabilia, minũs tamen sufficient, nisi annexa fuerint exempla. **CÆSARIVS.** Quod quidam conuertantur sola Dei vocatione, ex hoc, quod nunc subiungam, poteris exemplo dinoscere.

*Causæ
conuersi-
onis.*

Temporibus Conradi regis Romanorum, cum sanctus Bernardus prædicaret crucem in Leodio, quidam canonicus maioris ecclesiæ prostratus in oratione ante quoddam altare, vocẽ huiusmodi cœlitus demissam audiuit: Exi, & audi, euangelium reuixit. Qui mox ab oratione surgens exiit, & virum sanctum crucem contra Saracenos prædicatẽ inuenit: alios quidem signabat, alios ad ordinem suscipiebat; qui compunctus, & Spiritus sancti vnctione intus instructus, crucem suscepit, non tamẽ transmarinæ illius expeditionis, sed ordinis; salubrius iudicans longam crucem imprimere menti, quàm breuem zonam ad tempus asserere vesti: legerat Saluatorem dicentem: Qui non tollit crucem suam quotidie, & sequitur me, non est me dignus. Non dixit vno anno, vel duobus, sed quotidie. Multi post peregrinationes deteriores fiũt, & pristinis virijs amplius se inuoluunt; hi similes sunt canibus reuertentibus ad vomitum, & suis lotis in valutabro luti sui. *Mo- nachorum vita regularitẽ viuentium tota crux est,*

*Sola Dei
vocatione
conuersi*

*Luc. 9.
Mat. 10.*

1. Pet. 2.